



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1693**

Cap. VIII. De Signatura Justit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

semel rejecta, aut negata sunt, prout fit in Signatura justitiæ, nisi consentiente Pontifice, à cujus arbitrio cuncta dependent.

17. Præest huic Congregationi vel Signaturæ post Pontificem Cardinalis aliquis, qui omnes Supplicationes, & gratias in eâ concessas subsignare solet hoc modo: *Concessum in presentia Domini Nostri Papæ, & deinde subscribit Nomen suum.*

*Vestrius lib. c. 3. de Luca Rel. Roman. Cur. disc. 30.*

## C A P U T VIII.

### De Signatura Justitiæ.

1. Quæ referantur ad hanc Signaturam.
2. Quis sit illius Præfectus, & quæ hujus Auctoritas.
3. ubi & quando habeatur hoc Tribunal.
4. Qui ad illud spectent.
5. Prælatorum votantium suffragia sunt activa.
6. Litigatores informant Referendarios.
7. Ordo Sessionis in hoc Tribunali, & quomodo causæ in eo proponantur.
8. Contradictor citari solet ad dicendam causam.

9. Decisio



9. *Decisa causæ rescribit ad Supplicationes Præfectus.*
10. *Nunc causæ criminales cognoscuntur à solo Præfecto.*
11. *Qui non subsint Signaturæ Justitiæ.*
12. *Officium Præfecti, ejusque salarium.*
13. *Quot sint Referendarii Justitiæ & Gratiæ.*
14. *Ex his aliqui debent esse semper in urbe presentes.*
15. *Quas qualitates habere debeant Referendarii.*
16. & 17. *Quibus privilegiis gaudeant.*
18. *Quæ in commissionibus illis observanda sint.*

**T**Ribunal hoc erectum est ad decidendas quæstiones & controversias omnes, quæ oriuntur circa res Ecclesiasticas in toto terrarum orbe, atque etiam profanas in patrimonio Ecclesiæ temporali; Eaque quæ occasione personarum causarumve Ecclesiasticarum, vel ex Principum remissione, aut consensu partium ad Romanam Curiam devolvuntur, exceptis iis, quæ spectare diximus ad Signaturam Gratiæ.

2. Præfectus hujus Signaturæ est Cardinalis aliquis, cui Pontifex delegat vires suas, ita ut ipse rescribat ad omnes suppli-



supplicationes & commissiones causarum, quæ hac viâ justitiæ expediuntur. Ad præcavenda vero dubia & litigia statuit & declaravit Paulus III. Rescripta Cardinalis Signatoris ejusdem esse roboris, & auctoritatis in omnibus, apud omnes, ac si manu Papæ signatæ essent.

3. In hujus Præfecti ædibus haberi solet hoc Tribunal, qualibet Feriâ quintâ, non legitimè impeditâ; Si vero impedita fuerit, in aliâ, exceptis mensibus æstivis, in quibus alternis solum septimanis, vel etiam rarius, si negotia non premant, jus in hoc Tribunali dicitur.

4. Præter Præfectum spectant ad Signaturam Justitiæ duodecim Prælati votantes, qui sententiam suam, & suffragia ferunt de iis, quæ in Auditorio hoc proponuntur, & antiquiores nonnulli Referendarii proponentes bene à partibus instructi qui Ponentes dicuntur. Accedunt præterea alii Referendarii, quorum quilibet ordine antiquitatis servato proponere potest in qualibet Signaturâ, si tempus patiatur, duas commissiones, atque etiam tres si semel Signatura interrupta, vel intermissa fuerit. De quibus Referendariis paulo post plenius. Interfunt quoque



que huic Auditorio Rotæ Decanus, vel Pro-Decanus; Regens Cancellariæ; Duo Locumtenentes civiles Auditoris Camera, & Locumtenens civilis Vicarii, non ut suffragia ferant, sed ut jurisdictionem tueantur sui Tribunalis.

5. Prælatorum vero votantium suffragia non sunt consultiva tantum, ut in Signatura gratiæ, sed arctativa, ita ut si majora sint pro una parte, teneatur ea sequi Præfectus, ideoque ipse ordinariæ votum suum proferre non solet, nisi in discordiâ & æqualitate votorum pro utraque parte, tunc enim cui Præfecti votum accesserit, præponderabit. Et si notaverit is causam non esse satis discussam, nec vota habere debitam maturitatem, solet sententiam ad alteram Congregationem differre, ut maturius causa discutatur. Imo concedere solet contra decretum novam audientiam, vel etiam plures pro causarum qualitate & circumstantiarum diversitate. Ne tamen hæc nova audientia frequentius petatur in fraudem & ad impediendam executionem, deponere debet pars, quæ iterum audiri cupit, certam pecuniæ summam, quæ si succumbat, cedat alteri parti, vel ut plerum-

que



que fit, causæ Patrono, tanquam præmium confirmatæ victoriæ.

6. Ante tempora Alexandri VII. adire solebant die Martis signaturam præcedente litigatores cum Advocatis suis Signaturæ Præfectos, & Referendarios, eosque de omnibus informare, & sub Vesperum distribuebantur informationes in scriptis, ita ut una tantum superesset dies Prælati & Referendariis pro studio, quod cum valde incommodum esset ob causarum multitudinem ordinavit Alexander, ut informationes earumque distributiones fiant die Lunæ.

7. Jam vero die Jovis mane, quo haberi solet hoc Tribunal, in loco destinato Palatii Cardinalis Præfecti consistunt omnes ordine dignitatis, Præfectus in capite mensæ, hinc inde ad latera ejusdem mensæ primum duodecim Prælati votantes, deinde cæteri Prælati Officiales, ut omnes spatium habeant scribendi ea, quæ annotanda occurrunt. Ultimus in fine mensæ è regione Præfecti sedet Prælati ille Referendarius, qui causas proponit, & Ponens dicitur, refertque Oratoris petitionem, causæ constitutionem & merita, ac suum primum suffragium dicit, quod etiam decisivum est, deinde Votantes incipiendo

à ju



à juniore sua ordine vota proferunt, quæ Præfectus annotat, & secundum pluralitatem votorum causas decidit. Si paria sint vota vel ipse Præfectus suffragio suo accedendo uni parti rem definit; Vel si suffragari nolit, ut frequentius consuevit, propositionem differre solet.

8. Supplex si Contradictorem habeat, citare eum debet per Cursores coram Referendario proponente sub hac formula: *Coram Reverendo N. citatur N. ad dicendam causam;* & transmittere illi debet octiduo ante copiam commissionis.

9. Causis decisis expediuntur supplicationes, idque duplici modo; Vel per rescriptum Cardinalis Præfecti, vel per Breve Apostolicum. Præfectus non eodem modo & forma rescribit ad omnes. Ad Judices enim Curiaë Romanæ scribit: *Placet Domino nostro Papa* adjecto suo Nomine. Ad Judices vero in Provinciis *Concessum in presentia Domini N. Papa,* subscripto suo nomine; Vel his aliis utitur formulis: *Placet prout de jure; Concessum prout de jure. Placet arbitrio Judicis. Concessum arbitrio,* aliisque. *Vestr. l. 1. c. 3. n. 2. & 7.*

II

10. Si



10. Si vero in forma Brevis expediantur hoc tempore causæ Justitiæ, hic modus servari solet : Concipitur commissio ad instar supplicationis, & relicto spatio postponuntur clausulæ consuetæ. *Et cum absolutionem à Censuris ad effectum &c.* Hæc Commissio seu supplicatio traditur Primo Revisori, & à hoc Cardinali Præfecto Signaturæ Justitiæ signanda, qui eam hoc modo firmat. *Concessum in præsentia sanctissimi Domini Nostri Papæ, & subjungit nomen suum Cardinalis.* Sic vero scribit ex generali delegatione sibi concessa, quamvis non scribat in præsentia Papæ. *Vestrius l. c. n. 7.* Primus deinde Revisor Signaturæ tradit supplicationem seu commissionem eo modo firmatam Primo Revisori Datarie Apostolicæ, & à Secundo Revisore ejusdem Datarie mittitur ad Officium *Datum*, in quo data ta mittitur à Subdatario ad Officium *Missis*, & ab hoc ad Registrum: Registrata accipitur ab Officiali seu Substituto Præfecti minutarum Brevis, vel etiam ab Officiali Correctoris contradictarum, à quo expediuntur Bullæ prout à Rescribente fuerit concessum juxta *Vestrium l. c. n. 9.* At de Rosa p. 2. de Exe



*cap. lit. Apost. n. 13.* refert, in arbitrio esse partium, an expediri velint literas Apostolicas per Breve, vel per Bullam, exceptis causis Italiæ, pro quibus necessario expediuntur Literæ per Breve à Præfecto minutarum Brevium. Subscribitur vero tam Breve quam Bulla à Præfecto, vel à Correctore, & Brevi apponitur Sigillum cereum rubrum cum annulo Piscatoris. In extremitate cujuslibet commissionis apponitur ab uno Referendario Signaturæ Justitiæ verbum: *Placet.*

11. Huic Tribunali Signaturæ quamplurima Curia Romanæ Tribunalia non subjacent, veluti: Omnes Congregationes Cardinalium: Congregationes Baronum & Montium. Tribunal Cameræ: Camerarius: Thesaurarius: Præsidentes annonæ, Grasciæ, Dohonarum, Riparum, Zecchæ, Archivii & Viarum, similesque, utpote Cameræ subordinati. Præterea Curia Capitoli: Archipresbyteri Basilicarum Patriarchalium: Aliique Protectores, & Judices particulares piorum locorum. Demum Cardinales, ad quos non diriguntur commissines nisi signatæ manu Papæ: Omnesque alii Judices, ad quos eadem



commissio signata manu Pontificis directa est. *De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 31.*

12. Officium Cardinalium, & Prælatorum Signaturæ Gratia & Justitiæ tempore Sedis Vacantis conquiescit, nec possunt hi supplicationes & commissiones, etiamsi supplicantes parvas datas obtinuerint, signare. *Pius IV. Const. 36. in eligendis.* Præfectus Signaturæ in singulos menses percipit ratione sui officii centum ducatos de Camera. *Lunador.*

13. Referendarii Signaturæ Justitiæ ultra centum esse nõ possunt, & ex his septuaginta tantum Referendarii Signaturæ Gratia, nec ulli patet ascensus ad Signaturam Gratia, qui saltem triennium non fuerit laudabiliter versatus in Signatura Justitiæ, exceptis causarum Palatii Apostolici Auditoribus, & Camera Apostolicæ Clericis.

14. Ex Referendariis Signaturæ Gratia debent in Curia semper præsentem esse octodecim; Eorum duodecim Antiquiores dicunt sententiam in Signatura, tres Libellos supplices proponunt, cum quibus reliqui tres alternant.

15. Debent vero omnes Referendarii esse legitimè & honestis parentibus nati, Clerici, utriusque vel alterius Juris Doctores, in Romana Curia habitum



& tonsura Clericali incedendo laudabiliter versati, & saltem in vigesimo quinto ætatis anno constituti, tantumque in bonis possidere, unde decenter se in Curia sustinere possint. *Sixtus V. Const.*

41. *Quemadmodum.*

16. Porro Referendarii utriusque Signaturæ veræ Nobilitatis privilegio decorati, & Comites Palatini sunt, possuntque uti insigniis Romani Pontificis, & si Abbates fuerint, in eorum Monasteriis, Pontificalibus. Nihil ipsi, nec duo eorum familiares solvunt pro expeditione literarum Apostolicæ. Excepti quoque sunt cum eorum familiaribus à Jurisdictione Ordinariorum; Obtinere & retinere possunt beneficia ubique existentia, eorumq; fructus percipere absentes jussu Pontificis, aut studiorum causa. Horas Canonicas extra Chorum & tempus recitare, & diebus vetitis ovis, laticineis, atque carnibus judicio Medici vesci possunt. Possunt etiam testari de bonis acquisitis ex beneficiis Ecclesiasticis, eaque resignare & permutare.

*Paulus III. Const. 23. Debita.*

17. Præterea eligere possunt Confessarium approbatum, qui semel in vita, & in articulo mortis plenariam eis



concedat indulgentiam. Licentiam quoque habent celebrandi, ac celebrari faciendi circa auroram, & etiam in locis interdicto Ecclesiastico suppositis, atque eligendi sibi duas Ecclesias, in quibus indulgentias stationum lucrari possunt. *Sixtus V. Const. 41. Quemadmodum.*

18. Nonnulla vero in commissionibus & causis proponendis observanda sunt Referendariis, nimirum: Non possunt expedire commissionem, in qua nomen Procuratoris, seu impetrantis eorum manu non sit inscriptum. In citatione partis, quæ fieri debet missa copia, nomen Referendarii apponendum est. Maxime si hinc inde plures expedite fuerint commissiones, atque etiam in advocatoriis à prioribus Judicibus, & rebus præjudicialibus. Nec etiam reformatio, aut moderatio alicujus à Referendariis, vel etiam à Præfecto Signaturæ Justitiæ fiat, nisi appositum sit nomen Referendarii, qui illi manum apposuit. In commissionibus appellacionum ab interlocutoriis, aut à definitiva cum clausula, aut vim definitiva habente, aut quando apposita est clausula: *Quam & quas*, manum apponerent



nerere non possunt, nisi expresso relevanti gravamine, nec nisi citata parte. Nec manum applicare possunt commissionibus nullitatum, & attentatorum, nisi exprimentur nullitates ex defectu jurisdictionis, citationis vel mandati, & ipsa attentata; Nec commissionibus molestationum, & jactationum, nisi addita clausula: *Dummodo non sint judicialiter illata*; Nec Commissionibus prorogativis fatalium in causis criminalibus, nisi ex sententia Judicis & citato Fisco. In civilibus autem prorogationes hujusmodi ultra primam vicem non nisi ex causa concedantur. Quilibet vero Referendarius tenetur recipere commissiones, & eas in signatura proponere. *Paulus V. Const. 71. Universi prater cit. Constit. PP. Vestrius. l. 1. c. 6. De Luca Rel. Rom. Cur. c. 31. Lunadorus.*

CAPUT